

1980-03-01 – SS Ioannes Paulus II – Epistula ‘Probe Nostis’

IOANNES PAULUS PP. II

***EPISTULA DATA VENERABILI ARCHIEPISCOPO
MAIORI LEOPOLITANO
ET ARCHIEPISCOPIS CATHOLICAE UCRAINORUM ECCLESIAE
QUA SYNODUS EXTRAORDINARIA CONVOCATUR****Venerabiles Fratres, salutem, et Apostolicam Benedictionem,*

Probe nostis, Venerabiles Fratres, quanta benignitate Romani Pontifices inclitam semper Ucrainorum gentem persecuti sint. Attentis peculiaribus ac prorsus singularibus rerum adiunctis in quibus versatur Ecclesia Catholica Ucrainorum sive domi sive per orbem commorantium, de ipsorum cura pastoralis et spirituali ex imo corde solliciti, Nos Ioannes Paulus PP. II, vi mandati Apostolici Nobis concrediti, ut Summus Ecclesiae Catholicae Pastor, in hanc decisionem pervenimus vigilantis studio et apostolica sollicitudine necessitatibus eiusdem Ecclesiae Ucrainae occurrendi.

Quapropter, auditis Ucrainorum Hierarchis necnon ceteris operam Nobis prope praestantibus, per hanc Epistolam omnes et singulos Ucrainorum Episcopos in Synodum extraordinariam in Aedes Vaticanas in diem 24 mensis Martii hoc vertente anno 1980 convocamus, cui quidem Synodo Nos ipsi praeerimus. Eidem Synodo ipsi Episcopi interesse tenentur, nisi gravi causa Nobis significanda impediti. Huiusmodi extraordinariae Synodi crit elenchum trium candidatorum conficere, Nobis porrigendum, relate ad Archiepiscopum Coadiutorem cum iure successionis Venerabili Fratri Nostro Iosepho Cardinali Slipyj, Archiepiscopo Maiori Leopolitano Ucrainorum, assignandum.

Synodum ipsam eisque exitum patrocinio Beatissimae Virginis Mariae, Matris Dei et Matris Ecclesiae, intercessioni martyrum et confessorum Ecclesiae Ucrainae, precibusque omnium fidelium concredimus, ut Dominus Noster, cunctorum bonorum fons, imbrem coelestium gratiarum in Synodi Patres effundat eorumque consilia illuminet.

Qua quidem spe suffulti, Apostolicam Benedictionem vobis, Venerabiles Fratres, cunctisque presbyteris ac Christifidelibus Ucrainorum Ecclesiae peramanter impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die I mensis Martii, anno MCMLXXX, Pontificatus Nostri secundo.

IOANNES PAULUS PP. II